

EXERCITATIO
DE
INIVRIIS CIRCA FAMAM VEL HONOREM.

QVAM
ASSISTENTE DIVINA GRATIA
PRAESIDE
NOBILISSIMO CONSVLTISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE VIRO
DN. HENRICO Hahn/ ICTO,
CODICIS IN HAC ILLVSTRI IVLIA PROFESSORE, FACVLTATIS IVRIDICÆ SENIORE, ET DICASTERII GVELPHICI ASSESSORE LONGE CELEBERRIMO &c. Dn. PRÆCEPTORE, PROMOTORE AC HOSPITE SVO OMNI OBSERVANTIÆ GENERE PROSEQVENDO.
EXAMINI PVBLICO SVBIICIT
IOHANN. EBERHARDVS Busch.
CELL. LVNÆBVRGENSIS.
IN NOVO IVLEO MAIORI
AD DIEM XVI. APRILIS.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MVLLERI Acad. typ.
ANNO CIϽ IϽC LIII.



EXERCITATIONIS
De
INIVRIIS CIRCA FAMAM VEL HONOREM.

Thesis I.

QVemadmodum finis prudentiæ Iuris est τὸ justum per leges in Rempub. inducere, ita & non potest non ejusdem munus esse, id quod injustum est ab eadem removere & excludere: ne quippiam in legibus, quibus tam publicè quàm privatim in universum usquè consuli debet, omittatur. Quod equidem re nulla magis efficitur, quàm delictis & criminibus coercendis; ubi enim quis punitur, non quidem ob id plectitur, ut quod factum infectum reddatur (quî enim hoc fieret?) sed ut vel ipse, si quidem sanabilis adhuc est, corrigatur, vel, si quidem insanabilis, alij ejus exemplo meliores reddantur, malumquè è civitate tollatur.

II.

Hinc namque Iurisprudentia non modò justi verùm & injusti scientia est, *l. 10. §. 2. ff. de just. & jur. §. 1. Inst. eod.* atq; ICtus Vlpiano dicitur facere bonos etiam metu pœnarum, *l. 1. §. 1. eod.* De qua ideoque, utpote parte legum nobilissima, sanctionem nec non civium tuitionem & conservationem continente, jure Iustinianeo latissimè agitur,

duobus Digestorum libris *47. & 48.* qui exinde terribiles ab interpretibus non abs re indigitantur.

III.

Injustum vero hîc est idem quod legibus non conveniens. Non parere legi omnem injustitiam complectitur & omni injustitiæ commune est, ait Philosophus *5. Eth. 2.* quia leges nihil aliud sunt quàm virtutes imperatæ. Aliâs Injuria dicitur, & generaliter est omne id quod non jure fit, quod jure & justitiâ caret, *l. 1. ff. de Injuri.* Vt namque justitia quædam est generalis; ita & juris acceptio, & injuriæ ad omnes virtutes & vitia porrigi potest, *5. Eth. 2. 1. Rhet. 10. vers. cui autem, & d. l. 1.*

IV.

Quemadmodum autem justum in genere est quod convenit legibus h. e. virtutibus, ut modò dictum, imperatis, legesque sunt vel de rebus divinis vel humanis, *arg. §. 1. Inst. de just. & jur.* ita & injustum de his quoque non potest non esse. Indeque injuria alia est contraria virtutibus imperatis in ordine ad Deum, aliâ in ordine ad societatem humanam. Hæcque vel ad causas publicas pertinet vel ad causas privatorum, vel ad utrasque, *Arg. 1. Rhet. 13. v. itaq. necesse est. junct. tit. de privat. delict. inst. de publ. judic.* Fiunt itidem vel contra justitiam particularem, maximè commutativam, aut contra universalem & virtutes alias.

V.

Injuria circa Deum generaliter est, quando in leges de rebus divinis latas committitur, *Argum. l. 1. §. 1. C. de Sum. Trinit. t. t. de apost. tit. de Iud. & cœlicol. tit. de Malef. & Mathemat. Policei* Ordn. *tit.* von Gottes Lesterungen: Peinlich. Halsg. Ordn. *Caroli V. art. 107. c. querelam. de injur. tit. de simonia. & pas.*

VI.

VI.

Injuriæ circa homines contra justitiam universalem varij sunt generis, ut quæ adversus temperantiam, fortitudinem, modestiam, veracitatem, jura, obedientiam ac amorem Reipub. debitam, fiunt vel committuntur *5. Eth. 3. & 4. tit. ad L. jul. de adult. & 1. ad l. jul. Majestat. l. 43. §. 6. de Rit. Nupt. l. 1. de Extra. Crim. l. 2. l. 3. & l. 6. de re milit. l. 1. ad l. jul. de ambitu. tit. de stellionat. t. de Calum. t. C. de sedit. l. 7. C. ad l. jul. Majest. l. 2. C. de fals. monet. tit. ad l. jul. de ann. t. de colleg. & corp.*

VII.

Contra Iustitiam particularem commutativam, illæ fiunt quibus nocetur bonis alterius, corporis scilicet, fortunæ & animi, *arg. 1. polit. 1. & 1. Eth. 8.*

IIX.

Corpori nocetur per quamvis injustam ejus læsionem, ut per homicidium, vulnerationem & sic deinceps, *l. 1. §. 3. ad L. Cornel. ff. de Sicar. l. 5. §. 1. ff. ad l. Aquil. l. 1. princ. & §. 1. ff. de his qui effud. vel dejecerunt.*

IX.

Bonis animi, ubi quis verb. caus. servum, filium famil. uxorem, malis persuasionibus, consilij, corrumpit, concutit, qui minitatur. *t. t. de serv. cor. arg. l. 3. §. 5. de vi & vi armat. l. 9. l. ult. de ext. crimin. l. 1. §. fin. l. 2. de aleator.*

X.

Injuriæ circa bona fortunæ, quoad divitias quidem (opes, patrimonia) committuntur, præcipuè rerum subtractione & diminutione, scilicet ablatione, & ut est furtum, damnum ICtis in specie sic dictum, *t. de furtis & seqq. t. ad l. Aquil. l. 6. l. 7. de extraord. crim. l. 5. C. de exactor. &c.* Quo ad famam verò vel honorem injuria fit per contumeliam

cum existimatio alicujus læditur, vel quid fit ad alterius infamiam, *§. 1. Inst. de injur. l. 15. §. 44. ff. eod.*

XI.

Atque hæc quidem vera esse injusti & injuriarum principia non dubitamus, quæ latissimè *discursu de delict.* persequitur Amplis. & Consult. Dn. Præses Præceptor ac hospes meus ætatem venerandus. Ex illis modò eam quæ *circa Famam & Honorem* committitur delibabimus. Vbi verò omnino præmittendum venit, vocem injuriæ inprimis dupliciter accipi, (1) Latè & generaliter denotat omne quod non jure fit, *dict. a thes. 3.* atque sic & damnum culpa datum continet, quod *L. Aquil.* vindicat, *l. 1. l. 5. ad L. Aquil.* contumeliam, iniquitatem, injustitiam, *l. 1. de injur. princ. inst. eodem.* (2) specialiter & signatè significat eam qua fama alterius læditur, *d. l. 1.* Injuria in specie vocatur.

XII.

De hac, utpote proh dolor! inter homines frequentissima, ICti Romani varia accuratè & diffusè egerunt; ex quibus nunc tetigisse sufficiat, 1. quid sit. 2. quæ ejus species 3. qui sic delinquant & contra quos 4. quomodo fiat injuria 5. ut tollatur. 6. quæ ejus sint pœnæ. 7. quæ juris remedia eo nomine competant.

XIII.

Species Injuriæ 1. tres sunt. FIT enim rebus, verbis, & literis, *§. injuria. instit. h. t.* Re, ubi facto quid committitur, ad probri & turpitudinis notam comparato, *l. 9. princ. h. Suth. differt. 16. aphor. 52.* idque vel corpore in corpus, vel extra corpus; & vel in corpus nostrum, vel alienum, *§. 2. & 8. inst. h. t.* Exempla sunt, si quis pulsatus, aut verbe-

verberatus sit pugno, sive fustibus, sive manu, baculo, flagellis, virgis, alioque instrumento, *§. 1. l. 52. ff. ad L. Aquil.* Si vulneratus quis vel cujus vi percussum vel fractum quid est, *l. prator edixit. 7. & l. sequent. h. t.* si alicujus domus vi introita sit, aut signata, *l. qui in domum 23. l. lex. Cornelia 5. ff. h. t.* nec interest an quis habitet in domo propria, sive conducta, sive gratis habitet, sive sit receptus hospitio (non tamen repentino sed manendi causa, *§. 8. instit. h. t.*) Si alicujus pudicitia adtentatur, *l. 15. §. 22. & 23. & §. 1. Inst. h. t.* Si quis injuriæ causâ, injustè & indebitè in carcerem conjectus, *l. 13. §. 1. l. 33. ff. h. t.* Si cujus vestimenta in contumeliam fuerunt scissa, vel lacerata *l. 9. in prin. h. t.* statuæ, imagines, vel insignia concutiuntur, delentur, conflantur *l. 27. h.* Si cui non permittitur rei suæ usus, *l. 24. h.* à domino inferiorum ædium excitatur fumus, *l. penult. h.* Si opus novum nunciatur, non servata juris via, sed dolosè & calumniosè, *Plot. de in lit. jurand. §. 3. n. 56.* cujus familia contumeliæ, aut vexationis causâ corrumpitur, *l. inter 6. pr. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. l. 25. h. t.* Cui lis movetur vexandi gratiâ *l. 13. §. 3. h. t.* si cujus persona, vel res injustè arrestatur causâ contumeliæ, *Henn. Gœd.. Cons. 38. n. 1.* cujus literæ fuerunt resignatæ, laceratæ, vel etiam absconditæ, cujus res vel bona, per injuriam occupantur, *l. 15. h. t.* vel cujus bona quasi debitoris, qui tamen nihil debet, possidentur ab eo qui intelligebat, nihil eum sibi debere, *d. §. injuriarum 1. h.* Eodemque pertinet, si quis picturam famosam in aliquem fecerit, si vexandi causâ quem in judicium vocari curaverit, *l. 13. §. 3. h. t.* si veste lugubri in alicujus contumeliam utatur, *l. 15. §. 27. h. t.* si gestu injuriam faciat, *v. c.* duobus digitis in modum cornuum formatis carrucam, vulgo cornutum designans.

XIV. Ver-

XIV.

Verbis fit injuria per dictum, quo alterius fama bona vel existimatio apud viros bonos læditur, *d. §. injuriarum autem Inst. h. t.* puta cui omnis generis delicta, sive publica sint, sive privata objiciuntur, *l 3. h. t.* cui dicitur, tu mentiris vel calumniaris, *Geil. 2. observ. 101.* si debitor nominatur, qui non est injuriæ causa, *l. 15. §. 33. h. t. Plot. d. tr. §. 45. n. 2.*

XV.

Non autem interest, sive unico verbo sive pluribus fiat verbalis hæc injuria; tot enim sunt injuriæ quot verba, *l. plura 53. ff. de verb. obligat.* sive etiam præsenti sive absenti, *l. 15. §. 7. h. t. Geil. 2. observ. 99. n. 2.* neque juvat, si proferens verba injuriosa protestetur, quod non velit illa prolata in alterius ignominiam, *Arg. l. 21. de acquir. vel omitt. hered. Geil. 2. obs. 101. n. 2. 3. Dd. in l. 15. §. 7. h. t.* Eademque procedunt in vero convicio alteri objecto, quod vel extra judicium objicitur, *Covarr. 1. var. resol. 1. n. 6.* vel in judicio quidem, sed aut manifestari Reipub. haud interest, *l. 18. h. Geil. d. l.* aut licet intersit non probatur. *Geil. d. obs. 101. n. 6. 7.* Sive reo aliquid objiciatur, sive judici, *Phil. Franc. in c. pastoral. de appell.* sive testibus, *l. si tibi 31. C. de liberal. caus.* aut alijs scriptis famosis.

XVI.

Literis injuria fieri dicitur cum famosis libellis nomen bonum proscinditur, objectis criminibus, vel etiam vitijs tum corporis tum animi, *l. 5. §. 19. l. 5. §. 27. l. unic. in fin. C. de famos. lib.* Duaren. *ad h. t. c. 1.*

XVII.

II. Injuria alia est atrox, scilicet, major alia, minor

sc. le-

seu levior, *§.9.Inst. h.t. l. 7. §. 7. 8. ff. eod.* Atrocitas æstamitur ex facto, ubi quis ab aliquo vulneratur vel fustibus cæditur, *dd. ll.* vel etiam flagellis pulsatur, *l. 10. §. penult. ff. de in jus vocando*, aut læditur famoso libello, *arg. l. unic. C. de famos. libell. Menoch. 2. arbitr. jud. Quæst. cent. 3. cas. 263. h. t.* (1) Ex persona, ut est injuria patri, patrono, à filio, liberto illata, *l. 17. §. 3. ff. h. t.* necnon magistratui *d. l. 7. in fin.* episcopo, abbati, respectu tamen officij & dignitatis spiritualis, *l. 4. C. h. t. Menoch. d. cas. n. 9. & seqq.* ubi idem de Universitatum Rectoribus, Professoribus, Doctoribus comprobat. (2) ex loco, tum ratione loci in quo committitur, ut coram Magistratu, vel judice, in foro, in templo, *d. l. 7. §. fin. ff. h. t. d. §. 9. Inst. eod.* tum ratione partis corporis, ut si quis in oculo, aut alia parte faciei percussus fuerit. De tempore, quod nonnulli his addunt, alij verò ad locum referunt, vide Gotofr. *ad l. 7. §. fin.* Schneidvv. *ad d. §. 7. h.* Cum verò circumstantiæ quæ injuriam atrocem reddunt, variare possint, totum arbitrio judicis committitur, quæ pro tali habenda sit; Menoch. *d. cas. 262. n. 2.*

XIIX.

Tantum de speciebus hujus delicti, sequuntur Personæ quæ hic delinquunt & contra quos delinquitur, quæ sunt injuriam facientes; vel patientes. Facere injuriam indeque conveniri possunt, quicunque sanæ mentis dolique capaces alicujus famam vel honorem lædunt. Sive sint personæ privatæ vel publicæ, *arg. pr. & §. 1. Inst. h. t.* sive etiam unus, sive plures; tot namque sunt injuriæ quot personæ injuriam facientes, *l. 34. ff. h. & l. 9. d. jurisdict.* sive quis ipsemet fecerit immediatè, sive per alium mediatè, h. e. ubi curavit, v. c. (parens filio mandavit ut contumeliâ quemquam afficeret, *l. 11. princ. & §. 5.*

 l. 36.

l.36.h.) si quis aliquem ad hoc conduxit, *d.l.11.§.4.* modò tamen & eventus secutus fuerit, *l.15.§.10.h.* Huc ideoqve referri debet, quod ob famosum libellum teneatur etiam qui scripsit ab alio compositum' edidit, manifestavit, promovit ut emeretur venderetur, *l.5.§.9.h.t.* aut simile quid dolo malo fecit, *d.§.1. Inst. eod.*

XIX.

Facere itaque injuriam nequeunt infantes, impuberes doli incapaces; cum enim injuria ex affectu facientis consistat, hi sivè pulsent sivè convicium dicant, injuriam fecisse non videntur, *l.3.§.1.h.* Quæ ratio & in mente capto, dormiente, furioso continuè tali, *l.14 de offic. præs.* ebrioso, & summè ebrio, nimium iracundo locum habet, vid. omnino Ampliss. & Consult. Dn. Præsidem *in observ. ad VVesenbec. h. n.4.* non verò in prodigo, *arg. l.12. de tutor. & curat. dat.* Dec. *in l. 40. de Reg. jur. n.6.*

XX.

Omnes quoque homines possunt pati injuriam, licet quidam eorum facere nequeant: pati namque injuriam quis, etiamsi non sentiat, (juris sc. interpretatione) facere potest nemo nisi qui scit se injuriam facere, etiamsi nesciat cui faciat, inquit Vlpianus *in l.3.§.2.h.* In tantum, ut etiam funeri injuria fieri dicatur, puta, si cadaver inhonestè tractetur, seu nomen defuncti lædatur *l.1.§.6.l.27.h.t.*

XXI.

Patitur autem quis injuriã vel directò vel indirectò. Primo modo quando principaliter ipsi personæ, quæ læsa, injuria illata fuerit; Altero modo cum ab una persona, cui facta, per consequentiam redundat ad aliam, ut cùm liberis, ser-

tis, ser-

ris, servis, uxori, nunciove alicujus infertur, *l. 1. §. 3. h. §. 2. Inst. eod. junct. l. 1. & 2. de liberal. caus. & final. Inst. de noxal. action. l. 5. quod met. caus.*

XXII.

Occasione hujus autem occurrit hic vulgata ista quæstio, utrum pater injuriam filio illatam ipso invito remittere possit? Textus *in l. 17. §. 12 ff. h. t.* utriusque nomine patrem remittere posse affirmat, præsertim ubi non est vilis, abjecta, aut sordida persona, infraque filij conditionem collocata, *d. l. 17. §. 13. h. t.* Non sine causa enim præsumitur hoc facere, cum injuria plus ferè in patrem quàm in filium redundet, *l. 30. in princ. ff. d. pactis. §. fin Inst. de nox. act.* Vid. Ampliss. & Consultiss. Dn. Præsid. *in obs. ad VVesenb. n. 6. h. t.* Verum tamen id est si actio subsit prætoria, non verò si ex lege Cornelia, quæ soli filio competit, *l. 5. §. 6. 7. h. t. §. 6. & 8. Inst. eod.* in quibus Imperator pro exemplo id notat, Schneidvv. *Inst. §. 2. h. t. n. 8. & §. 8. n. 1. 2.* Dn. Ludvv. *disp. 15. thes. 6. lit. D.* Vtrobique tamen filius cavere debet ne patri obstinatè resistat, sed potius secundum *l. 1. ff. de obseq. parent. & patron.* pietatis rationem erga Parentes habeat, *l. 2. princ. l. 9. 10. ff. eod. t.*

XXIII.

Cum etiam *in d. l. 1. §. 3. ff. h. t.* mentio fiat affectus, quæritur, an socijs per socium, amico per amicum ab aliis inferatur injuria? Non videtur ICtus rationem affectus eo usque extendere voluisse, cum in illa *l. 1.* nullius personæ externæ meminerit; sed potius earum, quæ potestati nostræ vel affectui subjectæ sunt; quare restringi debet ad casus ibi propositos; adeo ut quamvis volentes ludibrio habiti sint, nihilo minus nobis injuria facta intelligatur. Dd. communiter ad conjunctos etiam, & con-

 sangui-

sanguineos id extendunt, ut & hi, etiamsi injuriam passus decesserit, vel transegerit, criminaliter inferentem accusare possint, Maranth. *in spec. part. 6. de inquisit. n. 58.* Verum licet hæc sententia fortean in prax locum habeat, ex l. tamen scripta defendi non potest: Duæ enim saltem causæ sunt ex quibus injuria nobis, facta videtur quæ alteri illata est, altera potestas, altera affectus.

XXIV.

Affectus ad uxorem & sponsum respicit: Potestas verò, vel patria est, vel dominica: sub patria comprehenduntur liberi, & ex filiis descendentes. Usque adeo enim injuria quæ liberis fit paternum pudorem pertingit, ut etiamsi volentem filium quis vendiderit, suo quidem nomine injuriarum actio competat, non verò filii nomine; cujus ratio est, quod quæ in volentem fit injuria nulla sit, *per d. l. 1. §. 5. h. t.* & sic pater qui cum filio pro una persona habetur, *l. ult. de impub. & aliis substitut.* assumit injuriam filii in potestate constituti. Ex quo ideoque colligere est, patrem non agere injuriarum pro filio naturali, aut emancipato; nec matrem quæ nullos liberos in potestate habet, *§. 10. Inst. de adopt.* nisi in propriam vergat injuriam matris, ut si quis filium spurium, aut ex meretrice natum appellet.

XXV.

Sub dominica sunt servi nostri, & per hos nobis infertur injuria, *d. l. 1. & l. 15. §. 34. 35. ff. h. t. Inst. §. 3. eod.* cujus ratio est, quod servi pro mortuis ac pro nullis habeantur, *l. 32. ff. de Reg. Jur.* utut respectu jure naturæ, ijs injuria fieri possit, *l. 15. §. 1. ff. h. t.* quo non attento, injuriarum tamen, ob impedimentum legis agere nequeunt. Unde interpretatione juris, dominis per servos injuria fieri

cense-

censetur, cum vel in ipsorum dominorum contumeliam, vel aliâs atrox injuria facta est, ut si quis domini servum pulsaverit, verberaverit, *§. 3. 9. Inst. h. t. l. 7. §. 7. 8. l. 15. §. 40. & 48. ff. eod.* Sic & per communes servos domino injuria fit, ubi si levis, non vindicatur, si autem atrox, non pro parte dominij, sed pro statu & dignitate cujusque domini æstimatur, *§. 4. Inst. h. t. l. 16. ff. eod.* Vbi tamen notandũ, quod ipsum æstimationem, si quis servus cæsus fuerit, non pro majori parte, quàm pro qua quis dominus est, fieri debere ICtus Paulus velit, *d. l. 16.* Idem verò in liberis hominibus, qui mercede conducti, nobis serviunt, ut sunt famuli, ancillæ, procedere dicendum est, *l. 15. §. 48. & 49. & l. 8. C. eod.*

XXVI.

Et tantum de personis, sequitur injuriæ modus, qui dolus est, in quo equidem ratio injuriæ formalis consistit; nulla namque absque dolo & animo injuriandi committitur, *l. 3. §. 1. penult. & final. l. sequent. ff. h. t. l. 5. C. eod.* Quod adeo verum, ut & ille præsumatur, nisi contrarium probatum fuerit, *d. l. 5.* & judex reo juramentum deferre regulariter nequeat, Gail. *2. c. 106. n. 1.* Vbi verò abest dolus, nec injuria subest. Hincque illi locus non est, si quæ fuerint objecta ex causis dolum excludentibus, utpote corrigendi, defendendi per legitimam retorsionem, *arg. l. 25. de procur. junct. l. 14. §. 6. ff. de bon. liber. Gail. 2 observ. 100. Fachinæ. 9. controv. 12.* ex levitate, ut per jocum, *l. 3. §. penult. & ult.* aliamve causam doli exclusivam; quo & referimus casum *l. 15. §. 13. ff. h. t.* de Astrologo aut alio illicitam aliquam divinationem pollicente, si is consultus aliquem furem dixerit, nec non *d. l. 15. §. 15. h. t.* si quis ma-

tronæ veste ancillari vel meretriciâ indutæ pudicitiam attentet; cum talis quisque judicetur qualis extrinsecus apparet, vid Gotofr. *in not. ad l. 15. §. 15.*

XXVII.

An verò ad hujusmodi exempla referendum quoque sit, si quis injuria afficiat Gaium Seiium, cum putat esse Lucium Titium, meminit ICtus *in l. 18. §. 3. h. t.* Videtur quod non, propter errorem in persona, *argum. l. 3. §. penult. & ult. h. t.* Verùm distinguendum est; vel voluit quis injuria afficere non Gaium Seiium, sed saltem Lucium Titium, & injuriarum non tenetur, ob errorem in persona, *l. 3. §. fin. l. 4. l. 15. §. si quis. h. t.* vel Gaium Seium à quo convenitur, injuriâ affectum voluit, & tum licet illum ipsum Lucium Titium esse putaverit, injuriam fecit, ex qua tenetur, quod error potius sit in qualitate quàm in persona, Philipp. Matth. *ad l. 56. de Reg. Iur. n. 36. & sequent.*

XXIIX.

Atque sic quidem injuria committitur, videamus nunc quemadmodum tollatur. Fit hoc (I) dissimulatione h. e. quadam condonatione, *l. 11. §. 1. ff. h. t.* velut si qui passus est, eam ad animum non revocavit, sed neglexit, *§. fin. Inst. de injur. l. 31. C. de liberal. caus.* quod verò ex signis seu conjecturis colligitur, ut est salutatio, ludus, capitis nudatio, convictus, mánus junctio, poculi propinatio; alicubi osculum; vid. *l. 11. §. 1. & l. 17. §. 6. ff. h. t.* nisi ratio loci vel temporis ad evitanda vulgi dicteria, diversum suadeat. Vti videmus in aulis Principum, ubi aulici jure vel modo aulico, *auff Hoferecht. h. e.* citra injuriæ præjudicium, agere solent, de quo vid. Geil. *de Arrest. imper.*

cap.

cap. final. n. 9. (II) pacto, transactione, jurejurando, *l. 17. §. 1. l. 27. ff. de pact. d. l. 11. §. 1. h. t. juncta l. 5. §. 8.* satisfactione, *l. 17. §. 6. eod.* (III) præscriptione, quâ actio quidē Prætoria anno tollitur, *l. 5. C. h. t.* utili, *l. 14. § 2. ff. quod met. caus. junct. arg. l. 6. ff. de alienat. judic. mut. caus. fact. l. 38. ff. de ædilit. edict.* (IV) Morte naturali, tam injuriam passi quàm inferentis, ante litem contestatam, *l. 13. in princ. l. 14. l. 15. ff. h. t. l. 164. de Reg. Iur.*

XXIX.

Vbi verò notandum, etiamsi remissione, aut morte naturali injuriarum actio abolita sit, Aquilianam tamē remissam non censeri, juxta *text. l. 34. in princ. & l. 41. ff. de obligat. & action. arg. l. 7. prin. & §. 1. ff. de condict. furtiv.* cujus diversitatis ratio est, quod hæc non tendat ad vindictam, adeoque istarum actionum diversi sint fines, *l. 17. §. 1. ff. de pact. l. 17. §. 6. ff. h. t. d. l. 34. de obligat. & action.* Et inde, licet actione injuriarum exstinctâ, agi ad damnum, interesse & expensas potest, quoniam hæc actione L. Aquiliæ petuntur, quæ ad remissam contumeliam non pertinet, sed ad damnum culpâ datum, *l. 2 §. 3. ff. de privat. delict. l. 15. §. 46. h. t. l. 5. §. 1. ff. ad L. Aquil.* vid. Ampliss. & Consultiss. Dn. Præsid. *in observat. ad VVesenbec. n. 13. h. t.* Schneidvv. *ad §. 10. n. 4. Inst. h. t.*

XXX.

Pœna ex leg. *12. tabb.* propter membrum ruptum talio erat, propter os fractum i. e. depalmatum, mulcta assium xxv. Aul. Gell. *lib. 20. c. 1.* sed utraque hæc pœna exolevit *§. 7. Inst. h. t.* Ex edictis Prætorum est injuriæ æstimatio ad certam pecuniæ summam, ex injuriæ atrocitate & levitate pro judicis arbitrio, juxta gradum dignitatis,

vitæque honestatem, *§. 7. Inst. h. t. l. 15. §. 2. §. 25. § 34. §. 43. ff. h. t.* & sic rusticis pro injuria illata, non ex constitutione juris Saxonici triginta, sed quindecim solidos solvi debere, ex textu ejusdem juris & ex consuetudine recepta refert Georg. Schultz *in synopsi Instit. h. t.* Ex L. Cornelia, ratione realis injuriæ, pœna itidem pecuniaria statuta est, *l. 12. ff de accusation.* Ex Lege Arcad. & Honorii capitalis, si quis in Ecclesias irruens, sacerdotibus, ministris, cultui locoque sacro quid injuriæ imposuerit, *l. 10. C. de Episc. & clericis. Auth. sed novo. C. eod. Nov. l. 123. c. 31.* Ex SCto propter famosum libellum pœna similiter capitis est, *l. unic. C. de fam. libel.* quæ tamē rectè ad gravia & capitalia crimina alicui objecta, restringitur, Prosp. Farinac. *quæst. 105. n. 424.* Quamvis & aliàs hodiè pœna non ubiq; & sit capitalis, sed secundum legē *42. ff. de pœn. l. 155. ff. de Reg. Iur.* mitiganda, contra Glossam, quæ generalem Iuris Civil. text. generaliter accipi debere ait, *in l. unic. C. de famos. libel.* Indistinctè de praxi mitiorem pœnam auctori imponi Peretz *C. h. t. n. 5.* ex Iulij Clari *lib. 5. rec. sent. § final. l. 86. n. 15.* statuit. Extra ordinē quoque aliæ pœnæ statutæ sunt, pro causæ vel personæ diversitate, de quibus agitur *in l. ult. h. t. l. 1. §. 1. ff. de extraordi. crimin. l. 1. §. fin. eod. l. 17. C. de quæst. l. unic. C. si quis imper. maled.*

XXXI.

Deniq; remedia ratione injuriarū comparata maximè sunt I. Actio Prætoria. II. Civilis ex l. Cornelia; tribus tamen casibus tantùm ex illa lege injuriarum actio datur, scilicet si quis vel verberatum se, vel pulsatum, vel domum suam vi introitam esse dixerit, *§. 8. Inst. h. t. l. 5. in princ. ff. eod.* III. Actio ex SCto de famoso libello IV. ex moribus sunt

Actio

Actio ad palinodiã & ad deprecationẽ, auff einen wiederruff/ oder Christliche Abbitte. Quamvis enim reclamatoriam illam jure quoq; communi non incognitam esse doceant Ioach. Mynſ. *ad §.10. Inſt. h.n.6. & reſp.7.n.7.dic.ad.1.* Erneſt. Cothm. *2. reſp.59.n.229. & ſeqq.* potius tamen consuetudine eſt recepta & in ordinat. Cameræ imperialis *p.2.t.18.* comprobata. Neque verò ea ad vindictam ſive publicam ſive privatam tendit, ſed quia hominibus ita perſuaſum, injuriâ illatâ honori quippiam detrahi, ideo per hocce recantandi remedium reſtitutionem honoris ſibi conciliant. V. Retorſio eſt, de qua ſupra. Poteſt autem pro omni injuria agi civiliter vel criminaliter, *§.10. Inſt. h. l.7. §.1. eod.* non quidem cumulativè ſed electivè, ſic ut uno modo electo alter tollatur, *l.6.h. l.56. §.1. d. furt.* quòd uterque ad vindictam tendat, *l.7. §.1.h. l.14. de acuſat.* Vtraque etiam actio (prætoria & ex L. Cornel.) extra ordinem rectè inſtituitur, *d. §.10. l. f. eod.* Actio verò ad palinodiam bene cumulatur non ſolùm cum injuriarum criminali verùm & cum civili. Etenim cum recantatio nihil aliud ſit quàm famæ ablatæ (boni illius fortunæ longè maximi, *4. Eth.7.*) reſtitutio; pœna non eſt, ſed actus juſtitiæ commutativæ, ex qua oritur obligatio reddendi ablatum quòd alterius fuit, ut latiſſimè ex Geilij, Berlichij & aliorum ſententijs adductis, inque praxi receptis, (licet in Scabinatu Lipſienſi contrarium pronuncietur,) probat Ampliſſ. & Conſultiſſ. Dn. Præſes *in obſ. ad VVeſenb. n.10.h.t.*

XXXII.

Cæterum affinis Injurijs valde eſt Diffamatio, quâ quis ex garrulitate & errore potius quàm malignitate & convicium dicendo, ingenuorum ſtatum diffamat, aut in damnum & jacturam famæ ſ. exiſtimationis aliquid ſpargit, divulgat, utpote quod habeat quid juris vel obligati-

onis

onis contra alterius personam, rem vel possessionem, *l. diffamari 5. C. de ingen. manumiss. ibiq.* Blarer. Contard. à Rodach. Extenditur verò hoc remedium ad quæcunque judicia nomine diffamationis s. jactationis intentanda, etiam ad matrimonialia, Cothman. *2. resp. 83. n. 12.* Ad id datur diffamato ut qui diffamavit, intra certum tempus causas diffamationis seu jus prætensum in judicium (agendo) deducat, sub pœna impositionis perpetui silentij, *d l. 5. l. 7. C. de his qui accus. non poss.* quod & contumaci post binam citationem imponitur, Geil. *2. obs. 9. n. 3.* Si nec tunc cesset diffamator, diffamatus vel de novo sic experiri potest, aut agere injuriarum. Quin & hanc cum actione ex *l. diffamari* quandoque rectè cumulari posse dubitandum non est. Tantum.

SOLI DEO GLORIA.

Corollaria.

I.

Reinhardus Bachovius ad *§. ult. Inst. de Iust. & Iur.* rationem daturus, quare in Institutis tantùm de jure privato agatur, *nam illud*, ait, *quod olim in sacris occupatum erat, publicum jus, jam explosum & damnatum: & apud Christianos sacrorum tractatio & explicatio ad ICtum non pertinet.* Per jus explosum si intelligit quod de sacris Paganorum fuit, verum est quod dicit id jam fuisse damnatum. Si verò id ad ICtos non pertinuisse censet, falsus

ſus eſt; Vlpiano Ethnico *in l.* 10. *§. fin. de Iuſt. & Iur.* Iurisprudentia dicitur & rerum divinarum & humanarum notitia; Gajo in *l. 1. ff. de Rer. diviſ.* res ſunt divini vel humani juris; diſtinctio quoque quâ res dicuntur ſacræ, ſanctæ, religioſæ Imperatori *in §. 7. Inſt. eod.* ex jure pontificum gentilium deſumpta eſt, *arg. §. 8. eod. tit.* Quod ſi vetus illud jus ad ICtos ſpectaſſe fortè fatebitur Bachovius, ut facit ad *τὰ πρῶτα p.* 76. qui enim aliter effugiet? ratio certè nulla eſt, cur ſacrorũ tractationẽ atq; expoſitionem apud Chriſtian. ademptã velit ICtis. Vel enim ſacra accipit quâ ad verbi divini miniſtros pertinent, atq; ad poteſtatẽ eorũ internam, & tunc abſurdiſſima dubitatio eſt, ubi de jure publico quæritur, de ſacris ejuſmodi (diverſiſſimi generis) à pomerijs ICtorum excludendis. Vel ſacra vocat jura de ſacris conſtituta, atque injurius ſibi ipſi eſt, ICto, totique prudentiæ juris. Impp. Chriſtiani plurimas de ſacris leges tulerunt, maximè Iuſtinianus noſter, qui inſuper librum Canonum veteris Eccleſiæ univerſæ publicavit, edidit, nobiliſſimam illam Codicis ſui partem. Legum namque latio ratione ſacrorum, quoad externam quidem Eccleſiæ gubernationem, ad omne id ſe extendit quod quocunq; modo Reip. utile eſſe poteſt, ſive cultum ipſum ſacrum concernat, ſive res ad illum neceſſarias, ſive perſonas ipſi inſervientes. De hiſce omnibus, ubi opus, leges facere ut jus fuit majeſtati civili ſec. IV. V. VI. ad Iuſtini-

anum

anum uſque (de cujus ſanctionibus quæſtio erat Bacchovio,) ita & poſtea fuit, & nunc uſq; eſt. Legum ergo illarum tractationem & interpretationem ad ICtos non poſſe non pertinere dicendum eſt.

II.

Sponſus in pactis dotalibus promiſerat, quod nunquam vellet diſcedere à loco & domicilio ſponſæ, futuræ ſuæ uxoris. Quæſtionis eſt, an promiſſis præcisè ſtare teneatur? Ratio dubitandi maxima eſt quod pacta ſint ſervanda. Verùm eâ haut attentâ negativam tuebimur.

III.

Cui convicium dictum erat, injuriam coram Sacerdote remiſit, poſtea nihilominus egit injuriarum, excepit reus illam fuiſſe ſublatam, actor replicando negavit. Quæritur quid hìc ſit κρινόμενον. Num exceptio, (depulſio?) h. e. an actor remiſerit, quod fortè negare non poteſt. Num replicatio, (firmamentum) remiſſionem factam non eſſe? Quæritur quis ſit hic ſtatus? Videbimus.

